

CASUS  
DE MATRIMONIO  
DE SPONSALIBUS

SCILICET

*De valore sponsalium; de earum obligatione; de consensu sponsalium  
vero, erroneo et conditionato; de solutione sponsalium.*

CASUS I.

VALOR SPONSALIIUM 1°.

BALDINUS cum LEONIA familiariter agit, et his verbis ei matrimonium promittit: *Non ducam aliam uxorem quam te.* Tacet LEONIA. Advertit BALDINUS huic non sufficere istam promissionem, et dicit: *Ducam te, et nullam aliam.* Acceptat puella promissionem, sed nullo alio verbo aut signo repromittit.

HINC:

QUER. 1° *An promissio BALDINI, variis formulis enuntiata, valida fuerit ex ejus parte?*

2° *An LEONIA acceptando censeatur repromisisse; et an valeant sponsalia in primo casu relata?*

SOLUTIO:

835. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Non valet promissio priori formula enuntiata, *non ducam aliam quam te*; quia hæc verba sunt mere negativa, et promittens potest nullam ducere, seu neque LEONIAM, neque aliam. Censetur enim dicere: *Te ducam, si forte aliquam duxero, sed non me obligo ad aliquam ducendam.* — Valet autem ex parte BALDINI promissio posteriori formula expressa, scilicet, *te ducam, et nullam aliam*; quia hæc verba consensum absolutum continent. *Reuter, n. 479. — S. Lig. n. 842.*

836. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* *Neg. probabilius*, quia acceptatio promissionis unius non includit necessario repromissionem ex parte alterius; unus enim acceptare potest obligationem alterius, quin seipsum obliget. Hinc tandem resolvendum est non valere sponsalia inter BALDINUM et LEONIAM inita, quia deficit clarus consensus ex parte sponsæ. Consensus autem ille manifestus in contractu bilaterali, ut est contractus sponsalitiuus, omnino requiritur. Consequenter ex illa promissione unius et acceptione alterius, nulla inducitur obligatio, ne pro BALDINO quidem. Etenim, licet ille potuerit se obligare primum, expectando puellæ repromissionem, non censetur voluisse se obligare quin et LEONIA ipsa se obligare voluerit, siquidem sponsus non datur sine sponsa. *S. Lig. n. 836.*

CASUS II.

VALOR SPONSALIIUM 2°.

QUIRINUS, nobilis familiæ juvenis, cæco amore ROSALIÆ puellæ plebeïæ captus, cum ea, insciis parentibus, sponsalia contraxit. Parentes vero QUIRINI, accepta imprudentis promissionis notitia, nihil intentatum relinquunt, ut huic matrimonio, adeo familiæ indecoro, obsistant. QUIRINUS vero cernens afflictos genitores, nolensque eos offensos habere, angustiis premitur. Quid igitur faciet miser? Cum ROSALIA agere minus urbane, imo frigide, incipit; deinde, allegato parentum dissensu, sponsæ valedicit. Postea, ratus se liberum prorsus esse, matrimonium promittit LÆLIÆ, paris conditionis puellæ, sed secreto castitatis voto obstrictæ. Libenter, quidem annuit illa; verum, hoc voto cognito, QUIRINUS renuntiat LÆLIÆ et matrimonium cum FLAVIA, ejusdem sorore, contrahit.

HINC:

QUER. 1° *An valeant sponsalia, insciis parentibus inita?*

2° *An possint invititis parentibus contrahi?*

3° *An licite QUIRINUS ROSALIAM adegerit ad contractum sponsalium rescindendum?*

4° *An valida fuerint sponsalia contracta cum LÆLIA, non obstante voto secreto castitatis quod illa emiserat? et an validum fuerit matrimonium cum ejusdem sorore initum?*

SOLUTIO:

837. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* *Affirm. per se.* Ratio est, quia electio status debet esse libera et ab aliena voluntate independens. Valet enim matrimonium, insciis et invititis parentibus, contractum, ut constat ex *Trid. sess. 24, c. 1, de Reform.* Ergo multo magis sponsalia quæ tantum ad matrimonium disponunt, et sunt minus firma.

838. — Dixi *per se*, quia quandoque non valerent sponsalia invititis parentibus inita, v. g. si matrimonium non posset contrahi sine gravi scandalo, vel si ex eo sequerentur graves rixæ parentum, etc. Justitia enim non obligat ad actum qui sine peccato fieri non potest. Disparitas tamen personarum præcise non irritat sponsalia, si contrahentes illius conscii fuerint. *Reuter, n. 466-467. — S. Lig. n. 849.*

839. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* *Nego generatim loquendo.* Ratio est, quia filii tenentur revereri suos parentes, et proinde in re tam gravi eorum consensum vel consilium petere. Excipe casum in quo filii præviderent parentes nuptiis honestis et convenientibus contradicturos esse. Attamen maxime est cavendum, ne suo soli judicio confidant. *Ita communiter. — Reuter, ibid. — S. Lig. n. 849.*

840. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* *Controvertitur* inter Theologos utrum dissensus parentum sit causa sufficiens sponsalia inita dissolvendi: sed distinguen-

dum est cum *S. Lig. n. 877* : si parentes injuste dissentiant a matrimonio, sponsalia dissolvi nequeunt ; secus, si juste contradicant, v. g. si matrimonium vertat in dedecus familiæ, etc. Igitur in casu nostro licite potuit QUIRINUS sponsalia dissolvere, licet valida ab initio fuerint, quia dissensus parentum omnino justus videtur. Sed inutiliter sponsam induxit minus urbane, ut promissionem remitteret. Sufficiebat enim ut, allegato justo et gravissimo parentum dissensu, ipse a sponsalibus resiliret. *V. Comp. n. 732.*

841. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Sponsalia QUIRINI cum LÆLIA invalida fuerunt, quia promissio sponsæ, voto castitatis ligatæ, fuit de re illicita, utpote Deo jam promissa et obligata, ac proinde obligare denuo erga hominem non potuit. *S. Lig. n. 873*, ubi dicit hoc certum esse.

Proinde validum fuit matrimonium ejusdem QUIRINI cum sorore LÆLIE, postea initum. Etenim, invalidis sponsalibus cum LÆLIA contractis, nullum publicæ honestatis impedimentum inde subsecutum est. *S. Lig. n. 873.* — *Vide Comp. n. 731.*

## CASUS III.

## UXOR FACILE A LACRYMIS TEMPERANS.

DAFROSA, a paucis annis conjugata, rerum humanarum caducitatem mox experitur; cernit enim maritum, repentino morbo correptum, ad mortem jamjam properantem. Ipsa vero flere, ejulare, suspiriis et clamoribus aerem oplere cœpit : « O me miseram! aiebat, quid faciam? Utinam et ego simul cum dilectissimo viro rapiar! » Id audiens GETULIUS, familiæ amicus, qui olim cum DAFROSA luxuriose fuerat conversatus, his eam verbis amice compellat : « Quidnam istud est, ait, si maritum unum amittas, nonne alium cito reperies? Visne me, si moriatur vir tuus? » Cui illa subridens, libenter annuit. Sed, mortuo viro, statim adstat alius candidatus. FIDELINUS scilicet, qui præterdit DAFROSAM debere sibi nubere, non vero alteri, quia, antequam illa defuncto conjugii nubere, sibi matrimonium promiserat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An sit valida promissio reciproca inter GETULIUM et DAFROSAM?*

2<sup>o</sup> *Quid, si pravum consortium inter utrumque habitum DAFROSÆ matrimonium præcesserit, necne?*

3<sup>o</sup> *An DAFROSA, GETULIO postposito, FIDELINUM ducere debeat, vi sponsalium prius cum eo initorum?*

SOLUTIO :

842. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Nego, etiam præscindendo tum a circumstantia pravi consortii inter utrumque habitum, tum a promissione quam DAFROSA ante matrimonium jam alteri fecerat. Ratio est : 1<sup>o</sup> quia verba GETULI solam animi propensionem significant, non autem veram matrimonii pro-

missionem; 2<sup>o</sup> quia non constat DAFROSAM voluisse serio repromittere; 3<sup>o</sup> quia, etsi intercessisset vera utrinque promissio, ea nullius prorsus momenti fuisset : promissio enim nuptiarum, conjugæ adhuc superstite, facta, non tantum illicita, sed etiam ut omnino nulla haberi debet. Etenim promissio sponsalitia non nisi inter sponsores habiles fieri potest. Sed non sunt habiles illi qui ligaminis impedimento constringuntur. Præterea hujusmodi promissio, conjugæ vivente, facta, non solum indecora et inverecunda est, sed inhonesta, turpis, et putida, utpote marito summe injuriosa. Ergo etiam ex hac parte invalida.

843. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Si copula perfecta habita fuerit inter GETULIUM et DAFROSAM, stante hujus matrimonio, et seria fuerit utriusque matrimonii promissio, non tantum illorum sponsalia invalida sunt, sed præterea impedimentum criminis intercessit, ita ut, ne valide quidem, nisi, obtenta Pontificia dispensatione, in matrimonium conjungi queant. Secus vero, si copula matrimonium DAFROSÆ præcessit. *V. Comp. n. 820.*

844. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Affirm. per se loquendo.* Ratio est, quia promissio rite facta et acceptata inducit obligationem, quæ suspenditur quidem per impotentiam intermediam, sed non exstinguitur, nisi per impotentiam perpetuam. *S. Lig. n. 875.* — *Voit, n. 1154.* — *V. Comp. n. 733.*

845. — *Dixi per se loquendo*, quia DAFROSA non tenetur FIDELINUM ducere, si justam habuit causam resiliendi a sponsalibus cum eo initis, vel si exinde justum ab eo acceperit motivum ejus nuptias repudiandi, aut si pravum exitum ex matrimonio cum eo inito timeat, v. g. ob impedimentum publicæ honestatis ex prioribus sponsalibus exortum. *V. Comp. n. 816.*

## CASUS IV.

## OBLIGATIO SPONSALIUM.

1<sup>o</sup> GENDULFUS CORDULÆ matrimonium privatum promisit; sed, facti pœnitens, nova contraxit sponsalia, juramento firmata, cum BERTA quæ paulo post ex eo concepit. Confitetur autem, matrimonii contrahendi causa, et Parocho rem totam aperit. Nescit autem Confessarius quid in tantis angustiis sit pœnitenti suadendum, vel præcipiendum. Itaque sinit illum ulterius procedere; quod fecit ille CORDULA ejulante et in desperationem abeunte.

2<sup>o</sup> PATERNUS sponsalia inivit cum AMELIA : sed subinde, ea posthabita, alia sponsalia, imo et ipsum matrimonium contraxit cum EULALIA, quæ magis ei placuit. Verum, dum sponsus sponsam ab Ecclesia reduceret, magna comitante caterva, ecce EULALIA corruit exanimis. AMELIA vero, similem sortem minime verens, urget et instat ut PATERNUS fidem ei promissam teneat. Hæret autem ipse, nesciens an vi priorum sponsalium AMELIAM adhuc ducere debeat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An GENDULFUS teneatur ad matrimonium cum CORDULA ineundum, vel contra, an cum BERTA contrahere debeat?*

QUÆR. 2º *An PATERNUS valide contraxerit nova sponsalia et ipsum matrimonium cum EULALIA, posthabita AMELIA?*

3º *An PATERNUS, mortua EULALIA, teneatur AMELIAM ducere?*

4º *Quid de casu, si AMELIA et EULALIA sorores fuerint?*

SOLUTIO :

846. — *R. ad 1º Quæs.* GENDULFUS tenetur stare prioribus sponsalibus, seu nuptias cum CORDULA inire. Ratio est, quia priora sponsalia fuerunt valida, et proinde non licet sponso matrimonium cum alia contrahere sine consensu prioris sponsæ. Ergo promissio matrimonii BERTÆ facta fuit de re illicita, et consequenter nulla.

Nec obstat 1º quod GENDULFUS posteriora sponsalia juramento firmaverit; nam juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, nec proinde firmare potest promissionem de jure naturali iniquam: juramentum enim sequitur naturam actus.

Nec obstat 2º quod BERTA ex consortio cum GENDULFO gravida evaserit, quia incommodum illud, quod ex facto GENDULFI BERTÆ evenit, jus prioris sponsæ minime tollit; homines enim in jure suo insistere possunt, et solent, neglecto damno quod aliis inde sequitur. Attamen, si leve detrimentum priori sponsæ obveniat, hæc enixe inducenda est ut de jure suo in favorem posterioris cedat. *S. Lig. n. 848. — Elbel, n. 17. — V. Comp. n. 726.*

847. — *R. ad 2º Quæs.* PATERNUS, initis valide sponsalibus cum AMELIA, novam promissionem alteri facere non potuit, ut jam in *Resp. ad 1º casum* dictum est. Valide tamen matrimonium cum nova sponsa contraxit, quia obligatio præcedens, impedimentum impediens tantum, non vero dirimens induxit. *Voit, n. 1152.*

848. — *R. ad 3º Quæs. Affirm.,* saltem *per se loquendo*, ut supra dictum est in responsione ad *Quæs. 3º casus præcedentis.* Obligatio enim prius contracta cum AMELIA adhuc subsistit, et per accidens est quod, interveniente matrimonio cum alia, aliquandiu suspensa fuerit. *S. Lig. n. 875. — Voit, n. 1152. — V. Comp. n. 727 et 733.*

849. — *R. ad 4º Quæs.* Si AMELIA et EULALIA sorores fuerint, PATERNUS posteriorem valide ducere non potuit, ob impedimentum publicæ honestatis ex prioribus sponsalibus exortum.

Ad priorem igitur redire potuit et *per se* debuit, quia matrimonium invalide initum est, nec in eo casu matrimonium invalidum impedimentum publicæ honestatis inducit, cum sit unus e duobus casibus a regula generali exceptis. *V. Comp. n. 818.*

## CASUS V.

### CONSENSUS ERRONEUS.

PARMENIO, de matrimonio ineundo cogitans, oculos convertit in BERTINAM puellam, quæ dotibus animi et corporis eminebat, licet divitiis non abundaret. Hoc suum consilium aperuit BERTÆ, ejus genitrici, ut ipsius

consensum obtineret. BERTA vero, quæ, defuncto nuper viro, novis nuptiis inhiabat, existimavit se optimam nactam esse occasionem votis suis obsequendi. Omnibus igitur blanditiis PARMENIONEM sibi conciliare studuit, ut secum potius quam cum filia matrimonium iniret. Ingentem pecuniæ copiam ex patris nuper demortui hæreditate se accepisse simulavit, dum exiguam tantum summam inde perceperat, ut spe divitiarum hominem ad optatas a se nuptias induceret. PARMENIO, ratus BERTAM reapse divitem esse, sponsalia cum ea inivit; imo, ejus blanditiis illectus, turpiter cum ea conversatus est. Verum paulo post, cum esset matrimonium initurus, mulieris fraude detecta, illius nuptias rejecit, iterumque animum ad BERTINAM convertit.

HINC :

QUÆR. 1º *An, vel qualis error consensum invalidet in contractu sponsalicio?*

2º *An PARMENIO a sponsalibus cum BERTA initis resilire potuerit, inspectis quæ in casu?*

3º *An nova sponsalia et ipsum matrimonium cum BERTINA inire posset?*

SOLUTIO :

850. — *R. ad 1º Quæs. 1º Error substantialis,* seu versans circa personam, certo invalidat contractum sponsalium. Idem dicendum de errore circa qualitatem *per se* intentam velut conditionem *sine qua non*, seu in substantiam ipsam redundantem. Ratio est, quia, ubi intervenit talis error, vel fraus, consensus deficit. Ergo deficit contractus, utpote in consensu consistens.

2º *Error accidentalis,* seu error circa qualitatem, juxta sententiam communem Theologorum, non invalidat contractum sponsalium, licet eum faciat rescindibilem etiam ad nutum sponsi decepti. Ita *Elbel, n. 20. — Voit, n. 1105. — Lessius. — Layman. — Sporer, etc. — S. Lig. n. 835.* simpliciter dicit hoc esse probabilius, quin oppositam sententiam ut probabilem admittere videatur. *Comp. t. 1, n. 777.*

851. — *R. ad 2º Quæs. Affirm.* Fuit enim gravi errore et insigni fraude deceptus, siquidem longe aberat quin BERTA esset in eo statu, quem jactando præ se tulerat; neque PARMENIO, filia relicta, ad matrem se converterat, nisi spe fortunæ multo majoris impulsus et allectus.

852. — *R. ad 3º Quæs. Nego.* Obstat enim duplex impedimentum dirimens. Primo quidem obstat impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus initis cum BERTA, matre BERTINÆ, nempe ejus consanguinea in primo gradu. Etenim, ex dictis supra, hæc sponsalia habenda sunt ut valida; atqui sponsalia valida impedimentum publicæ honestatis in primo gradu consanguinitatis inducunt. Ergo... Nec refert quod PARMENIO a sponsalibus juste resilierit, quia impedimentum semel existens non nisi per dispensationem cessare potest. Obstat secundo impedimentum affinitatis proveniens ex copula illicita quam PARMENIO cum BERTA habuit, cum in casu dicatur eos inter se turpiter egisse.

## CASUS VI.

## CONSENSUS CONDITIONALIS.

ODILO et ODILIA secundo gradu consanguinitatis inter se invicem conjuncti, sponsalia contrahunt, hac tamen adjecta conditione : *si Papa dispensaverit*. Subinde, communi consensu, supplicem libellum Romam ad dispensationem impetrandam mittunt. Interea ODILO, cum aliam puellam, VIRGINIAM scilicet, ODILIA pulchriorem, et aliis etiam dotibus præstantiorem invenisset, cum ea, priorum sponsalium ignara, nova inivit sponsalia. Paulo post, instante jam matrimonii inter ODILONEM et VIRGINIAM celebratione, ODILIA dispensationis litteras accepit, et statim ab ODILONE fidem sibi datam servandam esse reclamat. Anxius ODILO a confessario quærit quid sibi faciendum sit? Confessarius autem ipse dubius et anceps quærit quid sit ODILONI suadendum?

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An, et quando valida sint sponsalia sub conditione?*

2<sup>o</sup> *Quid de primis et de posterioribus sponsalibus ab ODILONE initis sentiendum sit?*

3<sup>o</sup> *Quid ODILONI præscribendum, vel suadendum?*

SOLUTIO :

853. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Sponsalia *sub conditione de futuro*, semper invalida sunt ante conditionis adimpletionem. Ratio est, quia effectus conditionis proprius est ut consensum suspendat, donec conditio impleatur. Deficiente autem consensu, nullus est contractus, nullaque ejus obligatio. Constat etiam ex *Jure canonico*, in 6<sup>o</sup>, de *Spons.* § 1, ubi dicitur : « Ille « qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba « contraxerit de præsentis, cum secunda remanere debet, cum ex sponsalibus conditionalibus, ante conditionem exstantem, sicuti consensum « non habentibus, nulla publicæ honestatis justitia oriatur. »

Attamen, stante conditionis suspensione, existit aliqua obligatio, non quidem ex contractu sponsalium, qui ex dictis nullus adhuc habetur, sed ex alia prævia conventionione, vi cujus partes tenentur expectare et non impedire conditionis eventum. Hæc autem obligatio, cum sit tantum ad sponsalia, non vero ex sponsalibus, nullum publicæ honestatis impedimentum generare potest.

854. — 2<sup>o</sup> Sponsalia *sub conditione de futuro*, purificata conditione, *per se* fiunt valida, seu absoluta, si utriusque perseveraverit consensus, qui, ut dictum est, absque peccato revocari nequit, proindeque suos pariunt effectus. Dixi *per se*, quia videntur aliqui casus excipiendi, ut infra dicetur.

855. — 3<sup>o</sup> An vero valeant sponsalia, stante impedimento dirimente, contracta sub conditione : *si dispensetur?* Dicunt non pauci fieri valida et absoluta, per conditionis purificationem absque consensus renovatione, si

in tali impedimento soleat dispensari. Ita *S. Lig. n.* 859. Opponuntur quidem apud *Analecta Juris Pontificii*, t. 3. p. 122, variæ Decisiones S. Congr. Conc., quibus accessit recens Decisio *Sacræ Rotæ*, cujus maxima est in rebus matrimonialibus auctoritas. V. *Clericati, de Matrim. Dec. 17.*, n. 41. Verum Decisiones predictæ id unice statuunt : non subsistere sponsalia *ante impletam conditionem*, quod nemo negabit. V. *Acta S. Sedis*, Vol. 1, pag. 79.

Secus vero dicendum foret, si de impedimento impediendo tantum matrimonium ageretur, v. g. si unus e sponsis voto simplici castitatis esset ligatus; tunc enim, obtenta dispensatione, sponsalia, absque consensus renovatione, absoluta evaderent.

856. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Priora sponsalia ODILONIS invalida fuerunt, tum quia erant tantum conditionalia, et sponsi consensus ante conditionis purificationem revocatus est, tum etiam quia, stante impedimento dirimente contracta sunt, ut sequitur ex dictis. 2<sup>o</sup> Quoad posteriora sponsalia ODILONIS, seu cum VIRGINIA contracta, res non adeo perspicua est.

I<sup>a</sup> SENTENTIA hæc sponsalia habet ut invalida. Ratio est, quia, licet ODILO ligatus non fuerit ad priorem sponsam ex obligatione sponsalium, obstrictus tamen illi fuit ex obligatione ad sponsalia, vi promissionis eidem factæ, qua stante, eventum conditionis expectare tenebatur. Ergo nova sponsalia contrahere non potuit, quin gravem hanc obligationem violaret; ergo illicite hæc nova sponsalia contraxit; ergo eo ipso invalide contraxit, siquidem ea cum injuria prioris sponsæ inivit. Ita *Elbel*, n. 18.

II<sup>a</sup> SENTENTIA, mihi intrinsece *probabilis*, stat pro validitate horum sponsalium. Etenim, ex dictis, invalida sunt priora sponsalia; ergo eo ipso valida sunt posteriora, siquidem tunc prior contractus, utpote irritus, ob stare nequit valori posterioris. Neque obligatio a sponso suscepta expectandi eventum conditionis impedire potest quin posteriora sponsalia valeant. Sequeretur enim tantum peccasse sponsum, violando pactum promissum, seu defuisse fidelitati, non vero propterea invalide nova sponsalia contraxisse.

857. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Stante præcedenti controversia, ODILO urgeri nequit ad ODILIAM ducendam, sed ei permitti potest ut VIRGINIAM ducat; siquidem ex dictis, *probabiliter*, aut etiam *probabilius* valida sponsalia cum ea contraxit, et ad eam obligatur : ergo in bona pace est relinquendus.

## CASUS VII.

SOLUTIO SPONSALIIUM 1<sup>o</sup>.

LEOPOLDUS, studio juris navans operam, sponsalia juramento firmata cum DOMITILLA honestissima puella inivit, promisitque se eam ducturum esse quando, laurea donatus, advocati munere potiretur. Tribus annis sæpe sæpius puellam invisit, fidemque datam inter colloquendum confirmavit. Quibus rebus ita ejus animum sibi conciliavit, ut illa oblatas ab alio juvene honestissimas nuptias respuere non dubitaverit. Sed LEOPOLDUS,